

dogmate praeludi, in *Colloquio Altenburgensi*, et tum praeuiderunt, et, nostris temporibus, alii obseruarunt. Dn. KLVGII *Praef. ad Neumeist. Conc. p. XXV. XXVII.* Nec *Maioristis* haec displicere queunt, quorum ad palatum et alias loqui, ac scribere nonnulli, quam Symbolorum urgere sententias, malunt. Cerebrinam *Dippelio-Thomasiani* sibi fidem fingunt, nisi, cum ignominia solius, in momento iustificationis operantis Sospitatoris, simul et ipsa sit operosa, quorum articuli fundamentales, *ama Deum, ama proximum, odio uero prosequere te ipsum*, uel homini Iudaeo ac Muhammedano admittendi, inter eos utique constant, quibus *haeresis* fingitur *practica, uetus Adam* periculosissimus *Pseudapostolus* statuitur, totius *Religionis summa in praxi* quaeritur (*es komme alles auff's Thun an*) omniaque, praeter DEI amorem, haberi pro uanitate solent. Adeo scilicet omnis nos fidei et satietas et taedium cepit, ut uix memorare eandem amplius uelimus. *Amor uia* dicitur *in coelum* (contra Ioh. XIV, 6. Act. XXII, 4. XXIV, 14. 22.) in *scala* ad coelum, amorem pro gradu illius habent alii insigniori, cum tamen DEVS, licet ex amore, non tamen *per* amorem, sibi attrahat fideles, Ier. XXXI, 3. *Verum* Christianismum, et *practicum*, (quae tamen, in omnibus, minime separata, requirimus) distingui inter se debere, nonnulli rident; Imo, uerum, fereque unicum *tranquillandi animam* medium (contra Matth. XI, 28.) *amorem* putant. Quorsum uelint, quibusque placere gestiant, nasutioribus per facile subolet, aliqui enim, repudiata sententia tutiori, tenaces ad eo fidei suae, in momento iustificationis practicae et operosae, futuri minime essent.

Fidei enim multos quasi cepit satietas,

VII.

Errantibus quippe, quam nobis, accedere multo propiores malunt. *Pontificiis*, inter fidem *informem*, et per B. O. formam distinguuntibus; *Socinianis*, opera, formae perfectionem induere fidei, eidemque tribuere uitam, existimantibus; *Episcopio* imprimis, obedientiam fidei includenti; *Neotericis* quibusdam, quum modo asserunt, regenerationem antecedere iustificationem ita, ut, ante hanc, Christus cum suo spiritu, in nobis habitet, quor-

Qui errantibus fieri proximiores uolunt,